VICIPÆDIA

# Europa

*Haec pagina continentem Europam explicat. Si aliud quaeris quod etiam "Europa" appellatur, vide Europa (discretiva).*

**Europa,**[1] notio ex aevo classico superstes, est continens quae occidentalissimam Eurasiae regionem comprehendit. Plerumque ab Asia dividitur ad orientem a divisionibus siccitatis montium Uralium et Caucasi, Rhymni, marium Caspii et Ponti, atque viarum aquaticarum quae maria Pontum et Aegaeum adligant.[2] Finitur Europa ab Oceano Arctico et aliis aquae corporibus ad septentriones, Oceano Atlantico ad occidentem, Mari Mediterraneo ad meridiem, et Ponto viisque aquaticis conectis ad meridio-orientem. Fines autem omnis Europae sunt aliquantulum libidinosi, quia vocabulum praecipue graphicum physicum elementa culturae et rerum civilium accommodare potest. Andreas Kaplan definit Europam continentem plurimas culturas diversas coniungentem minimum inter semetipsas distantes.[3]

**Europa**



| | |
|---|---|
| **Area** | 10 180 000 km$^2$ |
| **Numerus incolarum** | 738 200 000 (2010) |
| **Spissitudo incolarum** | 72.5/km$^2$ |
| **Nomen incolarum** | Europaeus |
| **Zona temporalis** | UTC ad UTC+6 |
| **Dominium interretiale** | .eu (Unio Europaea) |

Superficies Europaea minimo proxima continentis terrae spatio est, quae 10 180 000 chiliometrorum quadratorum comprehendit; haec area terrae aequor duarum centesimarum continet. Australiae est unicae continentium maior, sed de populatione est tertia a maximo, Asiam et Africam sequens, populo circa 710 000 000, undecim centesimae numeri civium omnis orbis terrarum.

Europa, praesertim Graecia antiqua, est natalis culturae Occidentalis locus[4], quae magni momenti erat in rebus orbis terrarum post saeculum quintum decimum, praecipue post initium colonialismi. Inter saecula sextum decimum et vicensimum, civitates Europaeae Americas, plurimum Africae, Oceaniam, et magnas Asiae regiones varia tempora moderatae sunt. Ambo bella orbis terrarum Europam vehementius dixerunt, deminutionem Europae Occidentalis in rebus orbis terrarum ante medium saeculum vicensimum magnopere efficientia, cum Civitates Foederatae et Unio Sovietica auctoritatem habere coepissent.[5] Per Bellum Frigidum, Europa secundum velum ferreum inter NATO in occidente et Foedus Varsoviae in oriente divisa est. Integratio Europaea conformationem consilii Europae et unionis Europaeae in Europa occidentali promovit, quorum ambo ad orientem expandebantur post casum unionis Sovieticae anno 1991.

## Index

# Etymologia



Europa et taurus in vasi Graeco. Museum Tarquiniorum urbis, circiter 480 a.C.n..

Europa in mythologia Graeca fuit filia Agenoris, Phoenicum regis, quam Iuppiter, qui formam tauri candidi acceperat, in Cretam insulam abduxit, ubi ea Minoem, Rhadamanthum, et Sarpedonem paruit. Apud Homerum, Europa (Εὐρώπη) fuit regina Cretensis, non autem notio geographica.

Etymologia vocabuli *Europa* incerta est. Duae opiniones saepissime proferuntur:

- Sunt qui verbum *Europa* a Semitico *Ereb* (occidens, vesper) derivatum esse velint. In stela Assyrica inscriptio est, quae inter Ereb, terram solis dormientis, et Assou, terram solis surgentis, distinguit. Haec duo verba dedissent originem verborum *Europa* et *Asia* sensu geographico.[6] In hymno in Apollinem (hymnorum Homericorum), qui circa annum 700 a.C.n. compositus est, Europa litus occidentale Maris Aegaei significat.
- Secundum etymologiam mere Graecam verbum *Europa* ex duobus verbis Graecis compositum est, εὐρύς (latus) et ὤψ (visus, oculus). Vocabulum feminam cui sunt oculi magni significat, imprimis certam reginam mythologicam ab Iove raptam.

Qualiscumque origo nominis est, verbum Εὐρώπη primo saeculo sexto a.C.n. a geographis Graecis sicut Anaximandro et Hecataeo sensu geographico adhibitum est.

# Definitiones antiquae

Usus nominis *Europae* se gradatim per historiam evolvebatur.[7][8] Herodotus, historicus Graecus, antiquitate mentionem fecit orbem terrarum divisum esse ab hominibus ignotis in partes tres, Europam, Asiam, et Libyam (Africam), quarum fines fuisse Nilum et Phasem, quamquam etiam dixit nonnullos habuisse Flumen Tanaem, contra Phasem, finem Europae et Asiae.[9] Oriens Europae confinium saeculo

primo a Strabone geographo ad Tanaem definitum est.[10] Flavius Iosephus et *Liber Iubilaeorum* continentes dixerunt fuisse terras a Noa, viro biblico, filiis tribus datas; Europa definita est regio, quae a Columnis Herculis prope Fretum Gaditanum patet, eam ab Africa Septentrionali, ad Tanaem, eam ab Asia separans.[11]


### Pinacotheca tabularum




Charta T et O ex 1472 divisionem orbis terrarum in tres continentes monstrat.



Tabula orbis terrarum Herodoti refecta




Europa tempore primae expeditionis sacrae anno 1000.



*Europa regina* - Tabula ex libro *Cosmographia* Sebastiani Münster (1570) - Insulae Britannicae et Scandinavia ab Europa propria excluduntur.



Tabula Europae ab Abrahamo Ortelio anno 1595 facta.



Varii limites inter Europam et Asiam variis temporibus positi


# Geographica

- Continentes finitimi: America, Africa (trans mare), Asia (coniunctione terrestri)
- Incolae: 733 000 000 (aestimatione)[12]
- Centesimae areae: 7 centesimae totius terrae
- Mons maximus: Mons Elbrus (5642 m)
- Area: 10 176 246/km²
- Densitas: 69.7/km²
- Paeninsulae: Paeninsula Balcanica, Italia, Iberia, Scandinavia, Dania

- Insula maxima: Magna Britannia

## Clima

Continens maxima ex parte in zona temperata sita est. Clima Europae comparatum ad regiones eiusdem latitudinis geographicae propter vim Fluminis Sinus admodum calidum est. Exempli gratia annua temperatura media Burdigalae urbis est 12.8 °C, cum illa Halifaxiae, quae urbs paene eadem in latitudine iacet, solum est 6.3 °C.



Superficialis Fluminis Sinus temperatura in occidentali Oceani Atlantici septentrionalis parte; sinistra infra Florida et Cuba.

Magnis in partibus Europae occidentalis hiemes sunt mites, aestates subfrigidae. In regionibus, quae a mari, quod temperaturas exaequat, late distant, temperaturae anni temporum magis differunt. Maximis in partibus Europae orientalis mari distante clima continentale praevalet, ut hiemes sint gelidae, aestates calidae.

Rotatione telluris et vi deflectente cum ea coniuncta venti plerumque ab occidente spirant, quare in regionibus litoralibus Europae occidentalis, ubi venti ab Oceano Atlantico adveniunt, paene totum per annum pluviae fiunt. In Europa orientali mediaque copia praecipitationis est minor vi maris deficiente.

Etiam montes ad copiam praecipitationis aliquid ponderis habent. Partes Alpium boreo-occidentalium inter regiones Europae maximae praecipitionis numerantur, cum valles alpinae centrales comparate siccae sunt. Alpes in hac re imbres prohibent.

In regionibus prope mare Mediterraneum clima Mediterraneum praevalet, ut aestates sint calidae et siccae, hiemes mites et umidae. Aestate venti plerumque ex septentrionibus spirant, hieme venti ex occidente saepe pluvias apportant. In Europa septentrionali clima polare praevalet, in Europa austro-orientali ad Volgam flumen autem clima continentale. Ita fit, ut Lapponia adhuc nive tecta sit, cum Sicilia aestu vexatur, in Shetlandia pluere non desinit, cum Andalusia pluribus annis praecipitatione caret.


## Flora

Vegetatio Europae secundum clima fere in quattuor zonas dividitur: arcticam, borealem, temperatam, mediterraneam. Usu miliorum annorum vegetatio originalis in zonis temperatis mediterranisque paene exstincta est. In Europa septentrionali in tundra arcticta non sunt nisi frutices, muscus et lichenes. A meridie in Scandinavia et in Russia septentrionali sequitur taiga, quae in solis uliginosis suis imprimis piceas et pinos nutrit. In zona temperata inter Oceanum Atlanticum et Carpates naturaliter (si homo non interpellasset) silvae fagis plenae crescerent, in plagis calidioribus etiam quercus et carpini. A regione, in qua fagus diffusa est, in orientem versa, fere a Vistula et Tyra usque ad Urales meridianos, sunt (vel olim erant) silvae *quercuum roburum*, *tiliae cordatae*, pinorum et, ubi zona in taigam transit, picearum. Versus meridiem prae Pontum Euxinum regio sequitur, in qua naturaliter vegetatio tesqualis praevaleret.




Vegetatio Europae secundum Wolfgangum Frey et Rainerium Lösch.

Etiam regiones circa mare Mediterraneum initio late silvis tectae erant. Ibi vegetatio naturaliter (sine hominis interpellatione) ex plantis sclerophyllis constaret, imprimis quercibus semperviridibus (praecipue quercu ilice), in plagis maxime meridianis calidissimisque etiam multis oleis, pistaciis et piceis. Interpellatione hominis hodie imprimis Phrygana aut Garigue praevalet. In plagis frigidioribus etiam varia genera quercuum, quae aestate virent, inveniuntur, ut *Quercus pubescens*. In mediis et altioribus montium stratis vegetatio originalis melius conservata est quam infra. In saltibus montanis praeter fagum etiam varia genera abietum et pinorum crescunt, in montibus magis septentrionalibus etiam picea et larix. Supra zonam, qua silva crescere potest, suffrutices, herba alpina et vepres inveniuntur.


Regiones biogeographicae Europae.

His diebus maxima Europae pars in agriculturam versa est, etiam e silvis reliquis enixe fructus capitur. Plagae ab hominibus minus commutatae imprimis in montibus exstant.

### Fauna

Magna Carnivora sicut ursi, lupi aut lynces adhuc in Europa septententrionali orientalique maiore numero vivunt. In extremis septentrionibus et in Europa orientali tarandri et alces admodum numerosi sunt. *Bison bonasus* exstinctus ex hortis zoologicis in Europa orientali rursus in libertatem missus est. Cervus, capreolus et aper plurimis in regionibus Europae inveniuntur. Animal Europae proprium est rupicapra, quae extra montes Europaeaos non nisi in Asia Minore et in Asiaticis Caucasi partibus diffusa est. In Alpibus, Pyrenaeis et in Caucaso varia ibicum genera vivunt. *Saiga tatarica* adhuc medio aevo usque in Ucrainam diffusa erat, hodie in Europa tantum ad Volgam flumen prope ostium invenitur.


Canis lupus

Multa genera iam ante saecula exstincta sunt (*Bos primigenius*, equus ferus). Etiam copia avium rapacium sicut *Aquila chrysaetos*, *Haliaeetus albicilla*, et *Gyps fulvus* valde deminuta est.

Solum in Europa meridionali et orientali propter clima calidum sunt plura genera lacertarum, serpentium et testudinum. Ad litora vivunt phocae. In maribus septentrionalibus cetacea notissima sunt orcae et Phocoenidae, in mari Mediterraneo Delphinidae. Notissimi pisces marini sunt Clupeidae et varia genera thunnorum.

## Politica et topographica

### Civitates



Tabula politica Europae cum capitibus





Linguae quibus gentes Europae utuntur




Culturae regionum Europae.




Europa anno 1899



Etiam regiones extra Europam sitae participes sunt societatum Europaearum. Exempla: Unio Europaea, Consilium Europae, OSCE, EBU, UEFA



Vexilla civitatum Europae



Quae civitates quibus in organizationibus sunt

| Insigne | Nomen | Area (km²) | Numerus incolarum | Spissitudo (per km²) | Caput |
|---|---|---|---|---|---|
| | Albania | 28 748 | 2 831 741 | 98.5 | Theranda |
| | Andorra | 468 | 68 403 | 146.2 | Andorra Vetus |
| | Armenia | 29 800 | 3 229 900 | 101 | Erevanum |
| | Atropatene | 86 600 | 9 165 000 | 105.8 | Bacua |
| | Austria | 83 858 | 8 169 929 | 97.4 | Vindobona |
| | Belgica | 30 528 | 11 007 000 | 360.6 | Bruxellae |
| | Bosnia et Herzegovina | 51 129 | 3 843 126 | 75.2 | Seraium |
| | Britanniarum Regnum | 244 820 | 61 100 835 | 244.2 | Londinium |
| | Bulgaria | 110 910 | 7 621 337 | 68.7 | Serdica |
| | Civitas Vaticana | 0.44 | 900 | 2 045.5 | Civitas Vaticana |
| | Croatia | 56 542 | 4 437 460 | 77.7 | Zagrabia |
| | Cyprus | 9251 | 788 457 | 85 | Nicosia |
| | Cechia | 78 866 | 10 256 760 | 130.1 | Praga |
| | Dania | 43 094 | 5 564 219 | 129 | Hafnia |
| | Estonia | 45 226 | 1 340 194 | 29 | Tallinna |
| | Finnia | 336 593 | 5 157 537 | 15.3 | Helsingia |
| | Francia | 547 030 | 63 182 000 | 115.5 | Lutetia |
| | Georgia | 69 700 | 4 661 473 | 64 | Tiphlis |
| | Germania | 357 021 | 83 251 851 | 233.2 | Berolinum |
| | Graecia | 131 957 | 10 815 187 | 80.7 | Athenae |
| | Helvetia | 41 290 | 7 507 000 | 176.8 | Berna |
| | Hibernia | 70 280 | 4 234 925 | 60.3 | Eblana |
| | Hungaria | 93 030 | 10 075 034 | 108.3 | Budapestinum |
| | Hispania | 504 851 | 45 061 274 | 89.3 | Matritum |
| | Italia | 301 230 | 59 530 464 | 197.7 | Roma |
| | Islandia | 103 000 | 307 261 | 2.7 | Reykiavica |
| | Kazachstania | 2 724 900 | 15 217 711 | 5.6 | Astana |

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| | Kosovia | 10 887 | [13] 1 804 838 | 220 | Pristina |
| | Lettonia | 64 589 | 2 067 900 | 34.2 | Riga |
| | Lichtenstenum | 160 | 32 842 | 205.3 | Dulcis Vallis |
| | Lituania | 65 200 | 2 988 400 | 45.8 | Vilna |
| | Luxemburgum | 2586 | 448 569 | 173.5 | Luxemburgum |
| | Macedonia Septentrionalis | 25 713 | 2 054 800 | 81.1 | Scupi |
| | Melita | 316 | 397 499 | 1257.9 | Valetta |
| | Mons Niger | 13 812 | 616 258 | 44.6 | Birziminium |
| | Nederlandia | 41 526 | 16 318 199 | 393.0 | Amstelodamum |
| | Norvegia | 324 220 | 5 018 836 | 15.5 | Osloa |
| | Polonia | 312 685 | 38 625 478 | 123.5 | Varsovia |
| | Portugallia | 91 568 | 10 409 995 | 110.1 | Olisipo |
| | Principatus Monoeci | 1.95 | 31 987 | 16 403.6 | Monoecus |
| | Moldavia | 33 843 | 4 434 547 | 131.0 | Chisla Nova |
| | Res publica Sancti Marini | 61 | 27 730 | 454.6 | Civitas Sancti Marini |
| | Romania | 238 391 | 21 698 181 | 91.0 | Bucaresta |
| | Russia | 17 075 400 | 142 200 000 | 8.3 | Moscua |
| | Ruthenia Alba | 207 560 | 9 458 000 | 45.6 | Minscum |
| | Serbia | 88 361 | 7 120 666 | 91.9 | Belgradum |
| | Slovacia | 48 845 | 5 422 366 | 111.0 | Posonium |
| | Slovenia | 20 273 | 2 050 189 | 101 | Aemona |
| | Suecia | 449 964 | 9 090 113 | 19.7 | Holmia |
| | Turcia | 783 562 | 75 627 384 | 98 | Ancyra |
| | Ucraina | 603 700 | 48 396 470 | 80.2 | Kiovia |

## Urbes maximae

*Vide etiam Indicem maximarum urbium Europaearum.*

Urbes Europae, quibus sunt plus quam 1.5 miliones incolarum:

| ordo | urbs | civitas | incolae-numerus in milionibus | numerus incolarum cum urbi propinquis in milionibus | annus fundationis (secundum litteras) |
|---|---|---|---|---|---|
| 1 | Moscua | Russia | 10.4 | 13.8 | 1147 |
| 2 | Londinium | Britanniarum Regnum | 7.4 | 12.0 | 47 p.C.n. |
| 3 | Constantinopolis* | Turcia | 6.9** | 16.0 | 660 a.C.n. *** nomine Byzantium |
| 4 | Petropolis | Russia | 4.8 | 5.3 | 1703 |
| 5 | Berolinum | Germania | 3.5 | 4.3 | 1230 |
| 6 | Matritum | Hispania | 3.3 | 5.3 | 1083 |
| 7 | Kiovia | Ucraina | 2.8 | 3.3 | 840 |
| 8 | Roma | Italia | 2.7 | 3.8 | 753 a.C.n. |
| 9 | Lutetia | Francia | 2.1 | 11.5 | 53 a.C.n. |
| 10 | Minscum | Ruthenia Alba | 1.7 | 2.7 | 1067 |
| 11 | Bucaresta | Romania | 1.9 | 2.6 | 1459 |
| 12 | Vindobona | Austria | 1.8 | 2.6 | 881 |
| 13 | Hamburgum | Germania | 1.7 | 2.6 | 500 |
| 14 | Budapestinum | Hungaria | 1.7 | 2.4 | 89 |
| 15 | Varsovia | Polonia | 1.7 | 2.4 | 1281 |
| 16 | Barcino | Hispania | 1.6 | 3.9 | 230 a.C.n. |

* Constantinopolis in limite inter Europam et Asiam sita est, urbs vetus in parte Europaea iacet. ** Numerus incolarum partis Europaeae, *** in parte Europaea situm.

## Historia

Reliquiae generis hominis in Sierra de Atapuerca in Hispania repertae usque ad 1.2 miliones annorum repetunt.[14] Inventae in Georgia etiam antiquiores ad 1.8 miliones annorum datata *Homo georgicus* appellantur. In Europa ab Alpibus in septentriones versus sic dictus Homo heidelbergensis circiter ante 600 000 annorum primas sedes collocavit. Ante 40 000 annorum demum Homo sapiens in Europam pervenit, ubi paulatim Hominem neanderthalensem demovit. A neolithico et chalcolithico in Europa longus progressus in rebus culturae et oeconomiae coepit, initio in regionibus circa mare Mediterraneum sitis, deinde etiam in septentrionibus et in oriente.



Ggantija, Melitae.

Praecipue cultura Graeca, imperium Romanum, et religio Christiana ad Europam formandam plurimum contulerunt. Antiquitate imperium Romanum Europam meridianam una cum aliis regionibus circa mare Mediterraneum sitis in unum coniunxit. Christiani, quamvis pluribus persecutionibus vexati, hoc in imperio religionem suam celeriter diffundere potuerunt.



Constantinus Magnus cum exemplari Constantinopoleos urbis

Antiquitate posteriore religio Christiana primum a Constantino I imperatore permissa (Edictum Mediolanense) et Theodosio I imperante religio publica facta est – quod usque ad hunc diem aliquid momenti habet. Cum Imperium Romanum in occidente corruisset, in oriente usque ad annum 1453 processit (vide: Imperium Romanum Orientale). Multitudo gentium Europam occidentalem invaserunt (vide Migrationes Europaeae populorum et gentium), inter quas Angli, Saxones, Franci, Gothi, et alii, quae nova regna condiderunt, ex quibus nationes futurae (Anglia, Francia, Hispania) ortae sunt.



*Domina Vincae,* fictilia neolithica ex Serbia.

Medio aevo ineunte Carolus Magnus imperium occidentale renovavit, quo facto diuturnae controversiae cum Imperio Romano Orientali ortae sunt. Contraria inter societates occidentalem et orientalem inter alia ad Schisma anni 1054 duxerunt. Missionarii religionem Christianam a medio aevo inenunte in Europa septentrionali orientalique disseminaverunt, ut tota Europa medio aevo exeunte Christiana facta sit. In Europa Occidentali a saeculo undecimo contentiones inter imperatorem et papam de principatu saeviebant. Tempore renascentiae litterarum occidens Latinus „scientiam antiquorum“ repperit, qua re quidam progressus culturalis effectus est. Reformatione saeculo sexto decimo ecclesia occidentis in partes Catholicam et Evangelicam scissa est, unde bella de vera religione orta sunt. Ab anno 1618 usque ad annum 1648, bellum tricennale magnam Europae partem devastavit.



Stonehenge, Anglia

A saeculo quinto decimo civitates Europaeae (imprimis Hispania, Portugallia, Russia, Nederlandia, Francia, et Britannia Maior) imperia coloniis fulta condiderunt, quibus cunctis in continentibus potentiam exercebant divitiasque sibi paraverunt. Europa continens est, qui ad alias continentes maximam vim habuit (puta per religionem Christianam, colonias, servitutem, commercium et culturam).

Saeculo duodevicensimo, Illuminismo commutatio rerum praeparata est, quae ad tolerantiam, observantiam iurum humanorum, aequalitatem ante legem et libertatem pertinuerunt, non autem sine maximis tumultibus. In Francia anno 1789, rebus novis cives regnum everterunt et ipsi rerum potiti sunt. Mox Napoleo imperator

Franciae factus magnam Europae partem occupavit, postquam autem anno 1812 plurimis militibus amissis e Russia eiectus est, anno 1814 devictus et in exsilium missus est.


Discus caelestis Nebra ex Germania aetatis Aeneae.

Civitates victores Consilio Vindobonensi ordinem, qui ante res novas Franciae fuerat, restituere conatae sunt, sed non nisi partim et ad tempus successerunt. Incrementum industriarum vitam multorum hominum valde commutavit. Quod multi operarii rebus necessariis carebant, saeculo undevicensimo motus communisticus natus est. Eodem saeculo a multis democratia desiderabatur, quae voluntas a regentibus non raro crudeliter opprimebatur, et nationalismus cum imperialismo grassabatur.


Res novae Francicae: Impetus in Bastillam, die 14 Iulii 1789.

Et primo bello mundano (1914–1918) et secundo (1939–1945) Europa magnis ex partibus devastata est. Fere 60 milliones hominum per hoc vitas amiserunt, quorum circiter sex milliones erant Iudaei, quos nazistae, sicut et homosexuales et Zingaros, exstirpare voluerunt, phylen puram appetentes.

Secundo bello mundano confecto, bello frigido Europa velo ferreo, quod dicebatur, in duas partes politico-oeconomicas divisa erat: in civitates socialisticas sive communisticas in Europa Orientali, civitatesque capitalisticas in Europa Occidentali. Praeter has erant quaedam civitates neutrales. Perestroika et Glasnost demum in Unione Sovietica ab anno 1985 nova consilia incitavit, unde ab anno 1989 regimina communistica Europae Orientalis ceciderunt, Muro Berolinensi fracto et unione Sovietica pactoque Varsoviensi dissolutis.

Saeculis recentibus civitates culturaeque Europae magis magisque coalescunt, quod novas societates (ut puta Unionem Europaeam), maiorem cooperationem oeconomicam et mutuam migrationem incolarum maturat.

## Nexus interni


*Porta Unionis Europaeae*

### Geographia

- Europa continentalis
- Europa Media
- Europa Meridiana
- Europa Occidentalis
- Europa Orientalis
- Europa Septentrionalis
- Geographia Europaea

### Res politicae

- Consilium Europae
- Duces civitatum Europaearum hodiernarum
- Gubernatores civitatum Europaearum hodiernarum
- Index civitatum Europaearum
- Unio Europaea
- Vexillum Europae

### Oeconomica

- Argentaria Europaea centralis
- Consociatio Europaea liberi commercii
- Societas Europaea

### Miscellanea

- CERN
- Historia Europae
- Hymnus Europae

## Notae


1. **Europa (-ae)** est nomen usitatum; raro **Europe (-es)** reperitur, sicut Graece Εὐρώπη.
2. *National Geographic Atlas of the World* (7th ed.). Washington, DC: National Geographic. 1999. ISBN 0792275284 "Europe" (pp. 68-9); "Asia" (pp. 90–91): "A commonly accepted division between Asia and Europe . . . is formed by the Ural Mountains, Ural River, Caspian Sea, Caucasus Mountains, and the Black Sea with its outlets, the Bosporus and Dardanelles."
3. Kaplan 2014.
4. Lewis & Wigen 1997.
5. National Geographic, 534.
6. Barry 1999.
7. Lewis, Martin W.; Wigen, Kären (1997). *The myth of continents: a critique of metageography*. University of California Press. ISBN 0520207432.
8. Jordan-Bychkov, Terry G.; Jordan, Bella Bychkova (2001). *The European culture area: a systematic geography*. Rowman & Littlefield. ISBN 0742516288.
9. Herodotus, 4:45.
10. Strabo *Geographia,* 11.1.
11. Franxman, Thomas W. (1979). *Genesis and the Jewish antiquities of Flavius Josephus*. Pontificium Institutum Biblicum. pp. 101–102. ISBN 8876533354.
12. Sic fr:wiki
13. "CIA – The World Factbook" (https://www.cia.gov/library/publications/the-world-factbook/geos/kv.html). Cia.gov
14. Carbonell, E. et. al. (2008), "The first hominin of Europe," *Nature* 452:465–469.


## Bibliographia


- Michael Barry. 1999. L'Europe et son mythe: à la poursuite du couchant. *Revue des deux Mondes,* Nov.-Dec. ISBN 978-2-7103-0937-6.
- Bluche, Lorraine, Veronika Lipphardt, et Kiran Klaus Patel, eds. 2009. *Der Europäer: ein Konstrukt: Wissensbestände, Diskurse, Praktiken.* Göttingen: Wallstein Verlag. ISBN 978-3-8353-0444-4.
- Davies, Norman. 1996. *Europe: A History.* Oxford University Press. ISBN 0-19-820171-0.
- Jensen, De Lamar. 1992. *Renaissance Europe.* ISBN 0-395-88947-2.
- Jordan-Bychkov, Terry G., et Bella Bychkova Jordan. 2001. *The European Culture Area: A Systematic Geography.* Rowman & Littlefield. ISBN 0-7425-1628-8.
- Kaplan, Andreas M. 2014. European management and European business schools: Insights from the history of business schools. *European Management Journal* 32(4):529-534.
- Renger, Almut-Barbara, et Roland Alexander Ißler, eds. 2009. *Europa: Stier und Sternenkranz: Von der Union mit Zeus zum Staatenverbund.* Gründungsmythen Europas in Literatur, Musik und Kunst, 1. Gottingae: V&R unipress. ISBN 978-3-89971-566-8.
- Schmale, Wolfgang. 2010. Europa: Kulturelle Referenz—Zitatensystem—Wertesystem. In *Europäische Geschichte Online,* ed. Institut für Europäische Geschichte (Mainz).
- Williams, Glyndwr. 1968. *The Expansion of Europe in the Eighteenth Century.* Londinii: Blandford Press. SRN 7-137-32723-5.


## Nexus externi

Lege Εὐρώπη ("Europa") apud Vicipaediam lingua Graeca antiqua scriptam

**Vicimedia Communia** plura habent quae ad **Europam** spectant.

- Concilium Europaeum (http://www.coe.int/), www.coe.int
- Unio Europaea (http://europa.eu/), europa.eu
- "Introducing Europe" (http://www.lonelyplanet.com/europe), ex Lonely Planet, (http://www.lonelyplanet.com) www.lonelyplanet.com

**Civitates et territoria Europae**

| | |
|---|---|
| **Civitates** | Albania · Andorra · Armenia · Atropatene · Austria · Belgica · Bosnia et Herzegovina · Britanniarum regnum · Bulgaria · Cechia · Civitas Vaticana · Croatia · Cyprus · Dania · Estonia · Finnia · Francia · Georgia · Germania · Graecia · Helvetia · Hibernia · Hispania · Hungaria · Islandia · Italia · Lettonia · Lichtenstenum · Lituania · Luxemburgum · Macedonia Septentrionalis · Melita · Moldavia · Monoecus · Mons Niger · Nederlandia · Norvegia · Polonia · Portugallia · Romania · Russia · Ruthenia Alba · Serbia · Sanctus Marinus · Slovacia · Slovenia · Suecia · Turcia · Ucraina |
| **Civitates statu dubio** | Abascia · Carabachia Superior · Cyprus septentrionalis · Donetskensis · Kosovia · Luganskensis · Ossetia Meridionalis · Transnistria |
| **Territoria obnoxia et statu dubio** | Acroterium et Decelea · Caesarea insula · Crimaea · Faeroae · Gibraltaria · Lisia · Riduna · Monapia · Sargia |

*Opus geopoliticum* • *Nationes mundi* • *Europa*
*Capsae cognatae:* Africa • America • Asia • Oceania

**Continentes**

Africa · America · Antarctica · Asia · Europa · Oceania
*Opus geopoliticum* • *Continens*
*Capsae cognatae:* Civitates Africae • Americae • Asiae • Europae • Oceaniae